



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1595. usque ad annum 1600

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1773

VD18 90118677

§. 4. Alphonsi Ciaconii obitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67263](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67263)

rum hæc ipsa indulgentia Effexiæ Co-
 miti funestum faceſſebat negotium; Sæcul. XVI.
A.C.1599.
 quippe ab Elisabetha Regina acerbioribus literis increpitabatur, quare nequidem petita redeundi venia ex Hibernia in Angliam profectus est, ubi prævalente invidorum, hostiumque suorum potentia custodiæ dabatur, quo comperto Tyrennius Comes ruptis induciis hæreticos in Hibernia commorantes durius habebat, necnon prompti auxilii a Papa, Hispanisque submittendi spe elatus Anglos ex universa Hibernia penitus eliminandi propositum concepit, totamque Ultoniæ Provinciam suo subjecit imperio, utque eo ardentius vetricium armorum successum urgeret, Clemens VIII. Papa transmissio diplomate eidem, omnibusque ipsi adhærentibus easdem, quæ contra Turcas militantibus concedi solent, indulgentias elargitus est.

§. IV.

Alphonſi Ciaconii obitus.

Hic annus Virorum literis illustrium vitæ sat funestus erat, nam hos inter Alphonſus Ciaconius ad hunc annum a Thuano, aliisque mortuus dicitur, quamvis Antonius in Bibliotheca Hispana tomo II. ipsum anno Domini millesimo sexcentesimo primo adhuc in vivis egisse ac scri-

Jacob. Eckard. de Script. Præd. tom. 2. Thu. l. 122.

Sæcul. XVI.
A.C. 1599.

scripsisse testetur: utut vero res se habeat, id omnino compertum est, quod Alphonsus Hispano agnomine *Chacon* dictus natione Boeticus, & patria Biatensis fuerit, atque Hispali in Conventu sancti Thomæ Institutum divi Dominici professus sub Magisterio Ambrosii Morales in perscrutandis historiæ Romanæ, & ecclesiasticæ veteribus monumentis tantum profecerit, ut variis elogiis veluti *rei antiquariæ peritissimus, antiquitatum helluo, vir eruditissimus*, insignisque Theologus celebrari mereretur: unde tam amplæ eruditionis fama Romanam delata Alphonsus a Gregorio XIII. summo Pontifice ad eam urbem acceptus inter sanctæ Mariæ Majoris Penitentiarios adlectus est, quo in munere, quicquid temporis supererat, totum dilucidandis, componendisque, atque edendis Codicibus tam indefessa sedulitate impendebat, ut præter plura jam edita anno millesimo quingentesimo nonagesimo primo adhuc viginti volumina prælo parata haberet: tandem vero a Clemente VIII. (ut ferunt nonnulli) in Patriarcham Alexandrinum electus paulo post Romæ, ubi jam aliquamdiu domicilium fixerat, obiit, sepultusque fuit in Conventu Ordinis sui ad S. Sabina, quamvis de ipso hoc sepulturæ suæ loco adhuc dubitetur. Reliquit doctus hic

hic Auctor plurima ingenii sui monu-
 menta, inter quæ præcipue celebratur
 Historia utriusque belli Dacici a Traja-
 no Cæsare gesti, cujus libri quinque e-
 ditiones variis temporibus factæ ex-
 stant: scripsit etiam historiam de anima
 Trajani, præter quæstionem de S. Hie-
 ronymi Cardinalitia dignitate: ceteris
 vero ejusdem lucubrationibus palmam
 præripere videtur ejus historia de vi-
 tis, ac rebus gestis summorum Pontifi-
 cum, & Cardinalium, cujus libri editio-
 ni Ciaconius decem omnino annis de-
 sudaverat, eo autem morte prævento
 Franciscus Morales hanc historiam ab
 Alexandro VI. usque ad Clementem
 VIII., ac postea Andreas Victorellus
 usque ad Urbanum VIII., demum vero
 Augustinus Oldoinus usque ad Clemen-
 tem IX. protraxerunt, necnon suis ad-
 ditionibus locupletarunt.

Sæcul.XVI.
 A.C.1569.

§. V.

Pauli Parutæ Patritiæ Veneti

mors.

Insuper mensem Februarium hujus an-
 ni sibi exitialem habebat Paulus Pa-
 ruta ex nobilissima Venetorum familia
 ortus, qui omni scientiarum genere
 excultus tanta in extricandis publicis,
 privatisque negotiis solertia, eloquen-
 tia, & prudentia eminebat, ut jure ab
Thuan. l. c.
Hist. Eccles. Tom. LII. M m omni-